

monium cum infideli, matrimonium non sit Sacramentum ex parte fidelis; quia sicut matrimonium est unicus contractus duorum, qui nequit claudicare, vel esse tantum in uno, sic etiam ratio Sacramenti nequit esse tantum in uno.

1202. IX. De matrimoniis Catholicorum cum haereticis *Bened. XIV.* L. 6. de Synod. Dioeces. §. 3. erudite probat, quod *Ecclesia iisdem fere legibus, quibus Christianis interdixit, ne connubia inirent cum infidelibus, Catholicos pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deteruerit* ... et ibid. atque in Constit. 34. quae incipit: *Matrimonia.* addit: *Iis igitur in provinciis, in quibus ejusmodi conjugia non sine sacrorum canonum contemptu passim celebrantur, debet Episcopus, in sua praesertim synodo, ab illis in propriarum animarum perniciem contrahendis Catholicos abstertere.* Idem tamen clare in T. III. Bullarii sui, in epist. 2. quae incipit: *Singulari nobis consolationi.* §. 11. asserit, *illicita quidem, sed rata esse matrimonia catholicorum cum haereticis.*

1203. X. Juxta communiorem et moraliter certam sententiam (sicut eam vocat *Suarez* t. 3. de virtut. et statu Relig. l. 7. c. 1. n. 19.) sufficit coexistentia moralis consensus utriusque contrahentis, v. g. si quis prius consentiat, ac demum illo consensu non revocato, sed tacite durante consentiat alter ex intervallo; tum quia hoc sufficit in aliis contractibus, ut patet; tum quia nulla lex exigit necessario coexistentiam physicam, aut immediatam consensuum successionem, uti volunt quidam apud *Cardenas* in Crisi Theol. d. 56. n. 477.

1204. XI. Valet matrimonium contractum ex vehementi passione, v. g. irae, amoris etc., nisi constaret mentem a passione ita fuisse abreptam, ut non adfuerit tanta deliberatio, quanta alias ad peccatum mortale sufficit et requiritur, quod tamen nec praesumitur, nec nisi rarissime fieri solet. *Ratio* est, quia plerumque homines ex ejusmodi passionibus graviter peccant; ergo censentur habuisse sufficientem deliberationem: ergo etiam sufficientem habent ad se obligandos Deo vel homini. Adde, quod concupiscentia augeat voluntarium: ergo actum non facit irritum. *Sanch.* L. 2. d. 8. n. 5.

1205. XII. Juxta *P. Kugler* hic q. 31. n. 618. cum *Fagnano*, *Bossio* et aliis probabilius est, quod in furioso lucida intervalla habente praesumendum sit, ab eo contractum esse matrimonium tempore lucidi intervalli, non in furore, contra *Sanch.*, *Pirrhing* et alios, ita ut pro valore actus judicandum saltem in causa matrimoniali. *Ratio* est, quia contraxisse coram Parocho et testibus aliam non fundat praesumptionem, nisi contractum fuisse eo modo, quo solet contrahi a sanis hominibus; alias, si adfuisset signum dementiae, Parochus et testes debuissent talem contractum impedire. Praeterea non potest praesumi, quod pars altera cum summo suo damno consensisset, aut non statim resiliisset, si advertisset, compartem esse furiosam: ergo postmodum audienda non est, quia stat praesumptio contra eam.

1206. XIII. An matrimonia ex gravi metu injuste incusso contracta sint jure naturae irrita, utrinque defenditur, ut videre licet apud *P. Kugler* q. 32. n. 624. et seq. Communior tamen et probabilior sententia tenet, ea dirimi solo jure Ecclesiastico, et quidem non tantum in foro externo, sed etiam interno. Vide c. *Significavit.* 2. de eo, qui duxit. Praeterea communissima est sententia, quod metus tantum levis neque in foro interno, neque externo irritet matrimonium, dummodo metum passus non fite, sed vere consentiat; quia tale matrimonium neque ex lege naturae, neque positiva est irritum; imo lex positiva fere unice provocat ad metum gravem, ut patet ex c. *veniens.* 15. et c. *consultationi.* 28. de sponsal. ergo. Communior pariter sententia est, quod solus metus reverentialis, non accedentibus aliis graviter

absterrentibus, non irritet contractum matrimonii, quia etiam hic metus se solo censetur levis. Vide *Laym.* L. 5. tr. 10. p. 2. c. s. Denique communissima contra *Covarr.*, *Sotum* et alios defendit, quod metus juste incussus non irritet matrimonium. Vide *P. Kugler* hic q. 39. num. 685.

1207. XIV. Confessarius non potest denegare absolutionem parenti, qui juxta leges, ubi tales extant et receptae sunt, filiam vel filium exhaeredaret contrahentem invitis parentibus, aut illis inconsultis, in iis casibus, quibus tenetur consensum, aut consilium eorum petere. Ita *Sanchez* L. 4. d. 24. n. 15. quamvis ipsemet ibidem defendat, quod illicite taliter contrahentes exhaerentur, eo quod ejusmodi leges videantur injustae. Sed *contra est.* Tales leges non tollunt libertatem matrimoniorum, sed tantum abusum moderantur, neque disponunt circa substantiam, sed tantum corrigunt modum inordinatum contrahendi, neque legi Ecclesiasticae contrariantur, sed tantum aliquid addunt pro earum confirmatione, et meliori observatione: ergo sunt justae. *Confirm.* Jus Ecclesiasticum tales nuptias tanquam illicitas reprobatur c. *Honorantur* 13. et c. fin. XXXII. p. 2. c. *Aliter.* 1. c. *Nostrates.* c. XXX. q. 5. ideoque etiam graviter peccant filii justam parentum voluntatem, justaque consilia negligendo, maxime si praevideant inde oritura gravia odia, rixas, scandala inter familias cum perturbatione reipublicae; ergo leges juste possunt ejusmodi exhaeredationis poena plectere, et parentes eam licite exequi. Vide *Bossium* de contr. matrimon. c. 11. n. 208. Oppositam tenet *Krimer* in l. 4. Decret. n. 498. et n. 1767. De legibus civilibus a jure canonico correctis circa valorem matrimoniorum a filiisfamilias initorum sine consensu parentum, et servorum sine dominorum consensu, erudite disserit *Bened. XIV.* L. 1. de Synod. Dioeces. c. 37. et n. 4. concludit: *Verum postea consultius visum est Ecclesiae, praefatas civiles LL. pluribus saeculis a se aut approbatas aut toleratas corrigere, et abrogare, statuitque, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem a nutu eorum, sub quorum dominio vel potestate contrahentes existunt.*

CASUS IV. De Usu Matrimonii.

Priscilliana se accusat, quod frequenter usa sit matrimonio ob solam voluptatem; 2. quod aliquoties marito negarit debitum tum ob intentam sequenti die sacram Communionem, tum ne multiplicetur proles. Denique petit instrui, quandonam peccent conjuges in usu conjugii.

1208. Q. I. An et quomodo *Priscilliana* peccaverit exercendo opus conjugii ob solam voluptatem? R. Certum est ex proposit. 9. ab *Innoc. XI.* damnata, quod peccaverit, et quidem seclusa alia inordinatione graviore, saltem venialiter. *Ratio* est, quia saltem est contra debitum ordinem quaerere actum propter voluptatem, cum voluptas sit propter actum, idque praesertim in actu conjugali, qui ex se ordinatur ad prolis generationem. *Confirm.* ex s. Aug. qui L. 1. de nupt. c. 15. ait: *Carnis concumbendo petere voluptatem, sed non praeter conjugem, venialem habet culpam.* Dixi, ob solam voluptatem; nam vacare copulae propter voluptatem tanquam propter finem subordinatum vel potius medium ad generationem, non est peccatum; nam qui sic exercet opus conjugii, sequitur ordinem naturae, quae destinavit eam voluptatem ad reddendam faciliorem generationem prolis, et conservationem speciei.

Omnia peccata, quae committi solent in usu matrimonii, his versibus continentur:

*Sit modus, et finis, sine damno solve, cohaere (id est cohabita),
Sit locus, et tempus, desit violatio voti.*

1209. Q. II. Ex quo fine honestum sit, ac licitum uti copula conjugali? R. Ex fine primario matrimonii, scilicet prout institutum est a natura ad generationem prolis, ad conservandam speciem, ac praeterea prout est institutum tanquam Sacramentum ad generandam et educandam prolem in ordine ad glorificandum Deum, aut etiam ex eo fine matrimonii, ut conjux satisfaciatur gravi obligationi ex justitia reddendi debitum. Qui praeter hos fines primarios intendit, vel exercet copulam conjugalem ex alio fine secundario, v. g. propter vitandam incontinentiam, propter sanitatem, non peccat, quia sic non intenditur solus finis secundarius; secus si excludatur finis primarius. *Duarte* V. copula n. 158. et seq.

1210. Q. III. An Priscilliana licite denegarit debitum ex dictis rationibus? R. Si maritus absolute et serio exegerit, vel Priscilliana adverterit in marito periculum incontinentiae, dissensionum etc., peccavit graviter, non obstante utraque ratione: quia cum maritus serio et juste petierit, illa non satisfaciendo suae obligationi et defraudando maritum jure suo, deliquit in re gravi.

1211. Nec excusat primo instans devotio, futura, aut praeterita sacra Communio, quia abstinencia ab actu conjugali propter instantem devotionem est de consilio in reverentiam Ss. Sacramenti, vel ad devotionem dignius peragendam; redditio vero debiti ex justitia. Praeterea quamvis petitio debiti ante vel post sacram Communionem a multis non excusetur a culpa veniali, redditio tamen a plerisque a culpa excusatur. Denique actus conjugalis de se est licitus, honestus ac meritorius: ergo de se non obstat devotioni, sed ex accidenti, *si pietas debita per hoc omnino impediatur*. Ideoque suadet quidem convenientia, ut in solemnioribus festis, quibus uterque conjux intendit accedere ad S. Eucharistiam, communi consensu abstinence a copula, juxta Apost. 1. Cor. 7.: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*. Absolute tamen sub gravi praecepto usus conjugii tunc prohibitus non est. Juxta c. *Vir cum propria*. XXXIII. q. 4. *Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solum liberorum creandorum gratia utitur, ipse profecto de ingressu Ecclesiae, seu de sumendo Corporis Domini Sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere*. Praeterea olim quidem severa lege fuisse prohibitum usum conjugii in solemnioribus festis, *nunc vero id contineri intra limites meri consilii*, ait *Bened. XIV.* de Synod. l. 5. c. 1. n. 8.

1212. *Secundo*, regulariter non excusat multiplicatio prolium, tum quia primarius finis matrimonii est propagatio generis humani, cujus gratia omne incommodum conjugibus est perferendum, tum quia melius est proli, ut vivat inops, quam ut omnino non vivat. Adde, quod saltem in perpetuum non possit negari debitum ob periculum incontinentiae; ergo frustra negabitur ad breve tempus, post quod nihilominus fiet conceptio. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 16. contra *Sotum, Sa, Rodrig.* et alios. *Ibid.* tamen excipit casum, quo absente omni periculo incontinentiae res eo loco sita esset, ut ob prolium multiplicationem extrema penuria timenda esset, id quod inter Christianos raro eveniet. Censet etiam *S. Antonin.*, licere conjugibus mutuo consensu abstinere a copula ad vitandam prolium multitudinem, modo absit periculum incontinentiae.

1213. Q. IV. An uxori liceat negare debitum ob incommoda et molestias, quas gravidae patiuntur, vel ob ordinariam difficultatem partus? R. Non licet: quia nubendo ejusmodi poenis a Deo Evae et aliis mulieribus impositis se sponte subiecit. *Antoine* tr. de obligat. cert. stat. c. 3.

1214. Q. V. Ob quas causas liceat negare debitum? R. *Primo*, duo-

bus primis mensibus a contracto matrimonio uterque conjux licite negat debitum; conjugibus enim datur bimestre ad deliberandum, an vel matrimonium consummare velint, vel ingredi statum religiosum, c. *ex publico*, 7. de convers. conjug.

Secundo, conjux licite negat debitum, si compars adulterium commiserit; frangenti enim fidem, fides merito non servatur; pars tamen nocens potest petere debitum tanquam benevole concedendum, non exigendo tanquam debitum, quia non tenetur crimen suum prodere, nec poenam hanc in se exequi, donec ei a conjuge innocente imponatur, quamvis in foro externo crimen probare nequeat, modo de eo certo aliunde constet. *Laym.* l. c. n. 4. Nam sola suspicio aut tenuis probabilitas adulterii non sufficit ad debitum juste negandum.

Tertio, conjux non tenetur reddere debitum, si inde grave damnum, vel periculum sibi vel proli merito timeat. *Busemb.* cum *Perez*, v. g. si illud petat morbo contagioso, peste, lepra laborans (*excipe*, nisi morbus ante contractum matrimonium fuerit cognitus, et non sit nimis gravis); item si petat ab uxore aegrotante, cui copula graviter noceret. Plura in q. seq.

Quarto, petenti in ebrietate, amentia, furore negari potest, quia tunc non petit humano et rationabili modo. *Sanct.* l. 9. d. 23., *Laym.* l. c. n. 9. *Excipe* tamen casum, quo uxor adverteret in ebrio periculum incontinentiae. Item si maritus sit tantum semiamens, vel semiebrius; tunc enim uxor petenti tenetur reddere debitum, quia possessio juris ad petendum stat pro viro. Si uterque conjux in amentiam incidat, separandi sunt donec ad mentem redeant. Juxta *Sanct.* l. c. n. 8., *Barthol.*, et *Petrum Ledesma*, regulariter illicitus est concubitus, quando uxor amens est, et maritus mentis compos, quia praesens periculum est, ne mulier amens foetum in utero necet; cessante autem tali periculo, quia sterilis est amens, ut nulla subsit spes concipiendi, licitus adhuc est congressus, sicut licitus est senibus.

Quinto, si nimis frequenter petatur debitum, v. g. si ter una nocte reddiderit, potest quarta vice negari; videtur quoque nimis frequenter peti, si maritus non contentus nocturna redditione etiam per diem petendi habeat consuetudinem; secus si quandoque tantum id contingeret. *La Croix* l. 6. p. 3. n. 396. cum *Rodrig.* et *Gobat*.

Sexto, si conjux jure petendi debiti privatus sit ob incestum commissum cum conjugis consanguinea in primo vel secundo gradu. Quod autem incestuosus in poenam criminis amittat jus petendi debitum, patet ex c. *Tuae fraternitatis*. 10. de eo, qui cognovit consang. uxoris suae. De hoc plura, ubi de impedim. matrim. Huc reducitur, si conjuges mutuo consensu castitatem voverint; si auctoritate publica celebraverint divortium; et probabiliter, si paulo ante petitionem debiti maritus crudeliter verberibus exceperit uxorem: quia sicut propter diuturnam saevitiem potest fieri divortium a thoro et mensa; ita satis probabiliter propter eandem saevitiem una alterave vice potest negari debitum, nisi praevideat uxor, inde orituram majorem saevitiem, et majora mala.

Septimo, ex dictis e contrario inferes, quod evoluto primo bimestri conjux conjugi serio, juste, rationabiliter, et humano modo petenti teneatur ex justitia et sub mortali reddere. Dixi 1. serio petenti, h. e. tanquam debitum; quodsi enim uxor advertat, quod maritus tantum benevole petat, nec aegre ferat, si una vel altera vice modeste denegetur, vel potius ad breve tempus differatur, non erit mortale; secus vero, si pars petens valde aegre videatur latura negationem, aut prae verecundia non ausit instanter petere, vel sit in periculo incontinentiae; tunc enim erit mortale vel semel negare, multo magis si negetur ex pertinacia, odio, vindicta, aut

nonnisi post rixas etc. etc. Hinc si Confessarius audiat inter conjuges esse continuas rixas et odia, caute et prudenter interroget poenitentem, an forte causam praebet, non praestando, ad quae obligatur vi matrimonii, quia frequenter uxores ex passione irae ac vindictae excoecatae, nequidem sibi ducunt peccato, si per plures dies non cohabitent. Dixi 2. *juste petenti*; nam si, ut dictum est, ab adultero, vel incestuoso petatur marito, injuste, h. e. a non habente amplius jus, petitur. Dixi 3. *rationabiliter et humano modo petenti*, ut dictum est de eo, qui petit in amentia, ebrietate, aut cum proximo periculo morbi etc.; non enim censentur conjuges ad ejusmodi casum non praevium se obligasse, nisi periculum infectionis esset valde remotum, proximum autem periculum incontinentiae.

1215. Q. VI. In quibus casibus non liceat petere debitum? R. *Primo, sub mortali* non licet conjugi, qui vovit castitatem sive ante, sive post initium matrimonium, juxta saepe dicta ex c. 3. de convers. conjug. Unde ei nec licet inchoare actus ordinatos ad copulam, cum facta sit promissio abstinendi ab omni actu venereo: *excipe* actum redditionis debiti, ad quem obligatur ex justitia. *Secundo*, non licet petere ei, qui tempore matrimonii culpabiliter cognovit consanguineam personam compartis in primo vel secundo gradu. *Tertio*, qui *extra casum necessitatis* prolem suam baptizat, aut in baptismo vel confirmatione tenet, ut dicetur de impedimento spiritualis cognitionis: secus si in casu necessitatis.

1216. R. *Secundo*, per se saltem *veniale* est petere debitum tempore fluxus menstrui ordinarii. Ita Sanchez L. 9. d. 21. n. 7. et 8., ubi contra eos, qui dicunt esse mortale, ait damnum grave ex tali coitu, quod timent illi AA. imminere proli, esse incertum et rarum, cum constet innumeros tempore menstrui coire, rarissime tamen grave damnum in prole inde inveniri. *Ratio* autem peccati venialis est turpitudinis, et indecentia in eo coitu. Nec ab hac culpa eximit conjugis sterilitas; quamvis enim tunc cesset damnum proli, non tamen cessat dicta indecentia. Hinc Ezech. c. 18. v. 6. vir justus dicitur: *si fecerit judicium et justitiam ... si ad mulierem menstruatam non accesserit*. Denique ibid. addit Sanchez: *Quare si aliqua ratio sit huic turpitudini praeponderans, et actum honestans, vacabit culpa: nempe si ad vitandam in se, vel in alio fornicationem, vel ne conjux suo consortio odio sit, vel alia similis*. Unde uxor tunc licite reddit debitum, sicut et maritus licite petit: imo si una pars urgeat serio debitum, altera reddere tenetur. P. Bened. Schmier. Theol. Sacram. tr. 24. p. 29. n. 135. Addit tamen Sanchez l. c. sub. fin.: Si conjuges probabiliter existiment, prolem monstruosam ex eo concubitu gignendam, quamvis non peccet mortaliter exigens debitum, et uxor id reddere possit, eam tamen ad id non teneri, quia detrimentum magnum est tum proli perpetuo miserrime vivere, tum matri prolem miserrimo affectam morbo habere. Dixi supra, *tempore fluxus menstrui ordinarii*, sive naturalis: nam si sit quasi perpetuus, quo quaedam foeminae quasi continuo morbo laborant, licebit tam petere, quam reddere debitum; quia durissimum esset, conjuges obligare ad abstinendum perpetuo ab usu matrimonii.

1217. *Secundo*, secluso abortus periculo licite citra culpam etiam venialem potest peti et reddi debitum tempore, quo uxor est gravida, tum quia nulla lex assignari potest, quae usum matrimonii tunc prohibeat, tum quia esset gravissimum onus, et res mille peccandi periculis exposita, si vir toto tempore, quo uxor gravida est, scil. per novem menses, idque fere singulis annis, teneretur abstinere ab usu matrimonii. Addit Sanchez L. 9. d. 22. n. 6. quod, si talis coitus esset culpa venialis, laqueus injiceretur matrimonio, quia vel toto tempore, quo uxor uterum gestat, conjuges deberent absti-

nere a copula, vel innumera essent admittenda venialia, quod esset multiplicare peccata sine necessitate. E contra si adsit probabile periculum abortus (de quo debet constare per experientiam, vel per prudens judicium medici, cum per se et ordinarie, teste Palao, proximum saltem periculum abortus non subsit) usus matrimonii illo tempore graviter illicitus est; quia tunc vergit in interitum prolis innocentis. Monet Sanchez l. c. n. 1. periculum incontinentiae hic non praeponderare verisimili periculo abortus, quia illi periculo aliis mediis spiritualibus ad breve tempus consuli potest absque damno foetus, ideoque propter periculum incontinentiae praesente periculo abortus, licitus non redditur usus. Auctoritates in contrarium afferri solitae non omnino interdiciunt concubitum tempore, quo uxor praegnans est, sed tantum volunt, ne modus et temperantia excedatur, vel intelligendae sunt de consilio, vel de casu, in quo est periculum abortus, aut oppressionis prolis.

1218. *Quid?* si uxor hactenus nonnisi mortuas proles genuerit? R. cum Sanchez contra Sylvium: Per hoc non redditur illicitus usus conjugii, quia adhuc felicem partum sperare possunt; experientia enim constat, mulieres post frequentes abortus tandem feliciter peperisse. Suadendum tamen, ut hujusmodi conjuges oratione, aliisque piis operibus benedictionem Dei efflagitent, vitent intemperantiam et alias culpas. Item si sint foeminae nobilioris conditionis, ut vitent frequentiores choreas, moderentur irae vehementiores motus etc. Si sint de plebe, ne tollant, vel portent onera graviora; mariti autem caveant, ne verberibus, trusionibus, tusionibus male tractent uxores gravidas.

1219. *Tertio*, licitum est per se loquendo petere et reddere debitum post partum, dum in puerpera continuatur sanguinis purificatio, nisi forte ex eo concubitu gravis morbus immineret: *nam tunc de culpa judicandum esset juxta morbi gravitatem, ejusque probabilitatem*, ait Sanchez L. 9. d. 22. n. 12. contra alios, qui dicunt esse mortale uti matrimonio durante illa immunditie; item contra illos, qui dicunt, esse saltem veniale propter indecentiam, sicut supra n. 1216. de immunditia menstruatae locuti sumus. Varietatem sententiarum conciliat Abulensis c. 5. Matth. q. 244. ubi ait, absolute non esse necessarium, purificationis tempus expectare, sed aliquantulum, si recenter foemina enixa sit, donec ab immunditiis purificetur, et antea accedere ad illam non esse mortale. *Si dicas*, talem copulam prohiberi can. fin. dist. 5. ubi expresse ita habetur: *Nisi purgationis tempus prius transierit, mulieres viris suis non debent admisceri*. Respondent enim plerique cum Aversa, D. Antonino et aliis, textum ex S. Gregor. allatum loqui de consilio, non de praecepto, vel de casu, quo immineret periculum gravis morbi, vel potius dicendum, hoc, quod olim erat praeceptum, nunc intra limites meri consilii contineri, ut supra diximus n. 1211.; unde *to debent*, hodie significat decentiam abstinendi durante illa immunditie, non obligationem sub gravi peccato, nisi ut dixi, accedat aliud grave incommodum, quo probabiliter praesente, mulier non teneretur reddere debitum; hoc vero absente, si maritus precibus inductus nolit desistere, et sit incontinentiae periculum, ad reddendum teneretur.

1220. Q. VII. An licitus sit usus conjugii ante ablactationem infantis? R. *Affirmative*: tum quia non extat lex prohibens, tum quia durissimum esset conjugibus, imo periculum plurimorum peccatorum, si toto tempore, quo infans lactatur, deberent sub peccato ab usu matrimonii abstinere. Adde, quod periculum inficiendi lac ex tali coitu rarum sit, ut testantur periti medici. Sanchez L. 9. d. 22. n. 15. excusat a reddendi debiti

obligatione mulierem, dum advertit ubera exsiccare praecedente copula, aut lac valde perniciosum proli inde reddi: praesertim cum premente paupertate aliter non possit sustentari infans.

1221. Q. VIII. In quibus casibus non liceat reddere debitum petenti? R. cum *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 17. Duplex hic observanda est regula. *Prima*: Si petens graviter peccet ob circumstantiam, quae ipsum actum conjugalem reddit graviter peccaminosum et absolute utrique conjugum illicitum, tunc regulariter etiam reddere debitum sub gravi peccato non licet, v. g. si ambo conjuges mutuo consensu voverint castitatem, si copula petatur modo contra naturam peragenda, v. g. in vase praepostero, vel si in vase naturali, at situ innaturali cum periculo effusionis seminis extra vas naturale; talis enim redditio esset intrinsece mala, et nullo modo honesta posset fieri. Item si debitum petatur in loco sacro, vel publico, aut cum periculo abortus, aut alio gravi damno sanitatis conjugum. Dixi, *regulariter*: excusaretur tamen reddens a peccato, si periculum majoris damni ex negatione debiti prudenter timeret. De loco sacro vide P. 1. num. 468. *Ratio* est, quia reddens in priore casu formaliter cooperaretur ad actum graviter illicitum, secus in secundo casu.

Secunda regula. Si petens peccet mortaliter ob circumstantiam, quae afficit solam circumstantiam personae petentis, v. g. quia ipsa sola voverit castitatem, aut habet intentionem malam in petendo, tunc alter potest ac debet reddere debitum; similiter si conjux petendo peccet solum venialiter, propter modum leviter inconvenientem. *Ratio primi* est, quia per hoc, quod conjux voverit castitatem, aut ex mala intentione petat copulam, non perdit jus in corpus alterius conjugis, neque hic immunis est ab obligatione reddendi debitum. Ita *S. Antonin.* contra *Riccard.*, *Comit.* et alios. *Ratio secundi* est, quia fere semper adest ratio praeponderans, propter quam reddens peccato alterius veniali non censeatur formaliter cooperari, scilicet ratio discordiarum, periculum incontinentiae etc.; suadent tamen AA. ratione voti, ut compars, quae non vovit, prius petat debitum, dum praevidet a vovente petendum, et praesertim suadendum, ut petatur dispensatio. Addunt alii, quod, si uxor sine gravi incommodo possit dehortari, ne peccaminose petat, imo si spes affulgeat, fore ut per unam alteramve negationem debiti absterreatur altera pars a peccaminosa petitione, poterit saltem ex charitate amice negare debitum.

1222. Q. IX. An conjuges teneantur aliquando petere debitum? R. 1. Per se loquendo non tenentur, quia *cum liberum sit unicuique suo juri renunciare* (juxta c. 6. de privil.) nemo per se tenetur uti jure suo. R. 2. per accidens autem tenentur *primo*, si alter, praesertim uxor, ex signis videatur cupere hoc remedium, licet ex verecundia taceat, quia tunc potius debitum redditur interpretative petenti. *S. Th.* in 4. dist. 32. a. 2. *Secundo*, si alioquin in comparte sit periculum incontinentiae. *Tertio*, si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. *Quarto*, si generatio prolis necessaria sit ad avertendum grave damnum religionis, vel reipublicae.

1223. Q. X. An liceat exigere usum conjugii praecise ad vitandam in se incontinentiam, quamvis nulla forte sit spes prolis? R. cum *Navarro*, *Laym.*, *Sporer* hic n. 487. et aliis contra veteres non paucos, *affirmative*. *Ratio* est, quia matrimonium secundario institutum est in remedium concupiscentiae, ut colligitur ex 1. ad Corinth. 7.: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat. ... et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Et Catechism. Rom. P. 2. de matrim. n. 13. exponens causas, ob quas vir et mulier conjugii

debeant, docet: *Tertia est, quae post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, ut scilicet qui sibi suae imbecillitatis conscius est, nec carnis pugniam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur.* *Confirm.* Approbante Ecclesia licite contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendae prolis. Vide *D. Antoninum* 3. P. tit. 1. c. 20. §. 5.

1224. Q. XI. Quandonam peccent conjuges in usu conjugii? R. Praeter dicta peccant I. mortaliter, si habeant copulam extra vas debitum, quia talis copula est sodomitica, et contra naturam. Ideo haec circumstantia speciem mutans, scilicet copulae sodomiticae cum propria conjugum, necessario est in confessione explicanda. Nec excusantur a gravi peccato, qui inchoant copulam in vase non debito cum animo illam consummandi in debito; quia adhuc graviter agitur contra honestatem naturalem.

1225. II. Peccant graviter conjuges, si semen scienter et voluntarie extra vas effundant vel ante copulam, vel abrupta copula: item si uxores semen jam receptum voluntarie ejiciant, quacumque de causa; quia quaelibet talis effusio est intrinsece mala, et peccatum contra naturam, utpote directe opposita fini conjugii et copulae carnalis, scilicet generationi prolis. Excipit *P. Sporer* hic n. 490. effusionem involuntariam, si praeter intentionem accidat, v. g. ex festinatione, ex metu, ob senium, ob indispositionem alterius partis. Vide dicta P. 1. n. 755. Idem n. seq. 491. cum *Sanch.* mulierem a gravi peccato excusat, quae post seminationem a solo viro in debito vase factam, statim post copulam se tactu excitat, ut et ipsa seminet; eo quod haec provocatio sit actus conjugalis consummatio. Hanc provocationem plane illicitam esse defendit *Stephanus* de s. Paulo.

1226. III. Si durante copula conjuges mentem ad alios divertant, ita ut vir aliam mulierem, aut mulier alium virum desideret; hoc peccatum in confessione aperiendum est cum objecto cogitato (*Duarte V.* copula n. 163.); quia hic affectus vere est adulterinus.

1227. IV. Peccant conjuges graviter, si servato quidem vase debito non servent situm naturalem in coeundo *cum periculo effusionis seminis extra vas*; quia cum talis effusio voluntaria semper sit graviter peccaminosa, etiam probabile illius periculum voluntarie in ejusmodi situ electum, conjunctum est cum gravi peccato. Si tamen absit periculum praedictum, et non servetur situs naturalis sine necessitate, aut justa causa, v. g. si vir vel stando, vel a tergo, vel succumbendo exerceat opus conjugale, multi cum *Sanch.*, *Laym.*, *Sporer* et aliis dicunt, non esse peccatum mortale, sed veniale; eo quod absente dicto periculo non peccetur contra substantiam actus conjugalis, nec impediatur generatio. Nihilominus monendi sunt conjuges, ut abstineant a tali congressu, praesertim, si sine justa causa fiat, eo quod sapiat nimis inordinatam concupiscentiam.

1228. V. Si positive impediunt generationem, vel conceptam prolem extinguant: item si actum conjugalem exercent cum probabili periculo abortus.

1229. VI. Si hic actus exercentur coram aliis, ob grave scandalum. Caveant parentes, ne filios vel filias jam adultas in eodem cubiculo, multo minus lecto dormientes habeant, unde non raro ipsi parentes seducunt suos ad gravissima peccata committenda. Imo caveant, ne affectus suos coram prolibus inepte et scandalose prodant.

1230. VII. Denique absque dubio peccant conjuges, si semen privatim effundant, cum haec privata pollutio sit semper mala, et fini generationis contraria.

1231. Q. VIII. An et qualia sint peccata conjugum tactus, aspectus,